

berg

7

96



1928 K 944

474

7, 28

29

V I R O
CLARISSIMO, DOCTISSIMO
ERNESTO CHRIST. LVDOVICO
CHARITIO,

WITTEBERGENSI,
MEDICINAE CANDIDATO,
SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES,
NOMINE COMMILITONVM,
QVI SVB AVSPICIIIS
D. SALOMONIS CONSTANTINI TITHI,
BOTAN. ET ANAT. PROF. PVBL. ORD.

DISSERENDI EXERCITATIONE VT VNTVR,
GRATV LATVR

GOTTLIEB AVTENRIED,
WITTEBERGENSIS,
MEDIC. CANDID.

QVAEDAM
de dubia variolarum exstirpatione,
PRAEFATVS.

D. 23. Septembris 1796.

WITTEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII

CLAUSSIMO DOCTISSIMO
ERNESTO CHRIST. LUDOVICO
CHARITIO

WITTEBERG
MEDICINAE CANDIDATO
SVMMS IN ARTE SALVTARI HONORE
ROMANAE COMMUNITIONIS

ON IVE AVIDE
D. SALOMONS CONSTANTINI TITII
SVMMS IN ARTE SALVTARI HONORE

HABENDI ERROREATIONIS TITII
CANDIDATI

GOTTFRID AVTENSIS
WITTEBERG
MEDICINAE CANDIDATI

WITTEBERG
IN ARTE SALVTARI HONORE
CANDIDATI

IN WITTEBERG

WITTEBERG
FACULTATIS MEDICINAE




Iure saeculo nostro tribuendum est, quod ex politicae medicae praecipis, maiorem curam diligentiamque recte cognoscendis curandisque infantum morbis medici impenderent. Cum enim haec aetas per minorem corporis firmitatem, maioremque eiusdem irritabilitatem, non solum ad morbos maxime praedisposita sit, sed etiam propriis subiecta esse soleat malis; summam omnino haec nostram attentionem merentur. Inter multos vero, eosque valde periculosos morbos, quibus infantes praesertim corripiuntur, variolae, ni fallor, haud vltimum locum occupant. Quantas enim dirissimus hic valetudinis humanae et pulchritudinis aduersarius hucusque inter tenellos edidit strages? Quot huic morbo succubuerunt pueri, quorum valetudo prospera, optimum numinis diuini beneficium, aut per longum tempus, male affecta, aut penitus destructa fuit. Plures de hoc argumento scriptores calculis strages subiecerunt, quas variolae in diuersis terris variisque epidemiis ediderunt, vt BLACK, WALKER, SCYDERI, aliique. Hinc omnes, quorum animis conseruatio sanitatis humanae infixata est, vires eo intenderunt, vt, quantum fieri posset, huic infestissimo hosti limites praescriberent, mortalitatemque, plerumque subsequente, immiuerent. Equidem vero, hac opportuna scribendi occasione, monita illa atque consilia, a medicis aequae ac aliis viris, de hominum salute studiosis, prolata, breuibus hic exponere, ac de iis quatenus re vera perfici possint, iudicium ferre, mihi proposui. Praecipua vero remedia, quibus huic infantum pesti, hucusque obviam ierunt, et insitio, et recentissimis annis decantata illa plenaria extirpatio, abfoluunt.

Insitio quidem, de qua primum loquor, eo olim suscepta fuit consilio, vt morbum variolosum seuerum saepe, generique humano insensissimum, mitiorem redderent, ipsumque miasmata, hac ratione quodammodo corrigerent. Euentus quoque ex parte votis respondit. Multo enim pauciores aegrotos variolis insitis, quam naturalibus obire, experientia teste, negandum omnino non est. Eo enim, quod


quod corpora sana praeparare, atque epidemias mitiores eligere licet, periculum multo minuitur. Attamen haec ipsa infectio suis quoque, laborat difficultatibus, e quibus praeter alias, ea mihi diligenter attendenda esse videtur, quod non modo vltiorem infectionem, vt exempla probarunt, minime arceat, sed ad maiorem adeo morbi propagationem ansam praebet vberissimam. Cuius asserti veritas nunc comprobanda est. Incauto aegrotorum cum sanis commercio, morbus contagiosus necessario magis propagatur, quam si aegroti, vel ab hominum societate remoti, vel numero pauciores essent. Quo ipso id effectum est, vt morbus latius serperet, atque cum minus praeparatos inuaderet, mortuorum numerus augetur. (*WALKER Unterfuch. der Pocken etc. Lpz. 1791. pag. 311 seq.*) Ad hunc vero auctum mortuorum numerum, minime, vt rei grauitas postulabat, attenti, satis sibi habuerunt demonstrasse, infectione variolarum pauciores aegrotos diem subire supremum. Haec vero incauta morbi per plures minus aptos, propagatio, regulis bonae politicae contraria est, ideoque multi infectionem, non nisi praesente Epidemia variolosa permitti voluerunt, (*Cl. HVEFLAND et HOFFMANN in SCHERF'S Beyträgen, B. 4. S. 2. p. III. B. 6. S. 2. p. 137.*) cum ex obseruatorum testimoniis, per infectionem epidemiam excitari posse, constat, quae, nisi constitutio aëris aliaque faueant, facile maligna reddi, multosque profertere potest, qui alio tempore, morborumque constitutione magis fauente, forsitan fuissent seruari. Transplantatio variolarum ergo hoc semper efficit, vt variolae naturales non periodice, quemadmodum solent, sed fere continuo grassentur. At reuerunt infectionis fautores, epidemiam variolosam non singularem solum corporis nostri dispositionem, sed peculiarem quoque aëris constitutionem requirere, sine quibus solum miasma nunquam morbum proferre possit. Perpendant vero illi, causa occasionali frequentius applicata, vim corporis humani, sanitatem conseruandi, tandem succumbere. Exinde, vt mihi videtur, partialis infectio, licet singulis minus noxia, in vniuersum tamen societati humanae admodum periculosa euadit. Pauci enim, qui infectione seruantur, quicquam mortalitatem imminuunt, morbo vero propagando adeo fauent, vt longe plures infectioni temere exponantur.

Alii




Alii his de causis perniciosis; *uniuersalem infectionem* commendauerunt, qua omnibus ciuibus, et infantibus et adultis, qui variolas nondum perpeffi sunt, vno eodemque tempore variolas inferere iubent, quippe quo dispositio, miasma variolosum suscipiendi, in omnibus simul tollatur. Quantas vero in hoc fine assequendo offendimus difficultates, in magnis celebribusque vrbibus partim ob animorum dissensum, partim ob magnam hominum copiam, hanc plane non suscipiendam esse, per se patet; deinde eiusmodi vniuersalis implantatio minus generalis censenda est, cum alii per morbos, vel alia impedimenta domestica retineantur, alii propter aetatem ad hanc operationem inepti sint, alii illo ipso tempore subeantur, vt adeo aliqui semper ad contagium, sequenti tempore subeundum, idonei remaneant. Accedit quoque quod ad perficiendum hoc consilium, sufficiens alimentorum copia aliaque necessaria ad egenos sustentandos, requirantur, quae sumus, non facile colligendos, requirunt.

Cum igitur per infectionem vniuersalem variolas minime tolli posse, probe eruditi intelligerent, ad alia confugerunt remedia, tanto finis, ex quorundam opinione, assequendo aptissima. Inter medicos pristinae aetatis plures de *exstirpandis* variolis, vel obiter consilia proposuerunt, annis vero proxime praeterlapsis, plures de hoc argumento scripserunt. Nos recentissimis solummodo inhaeremus, eorumque momenta breuibus nunc perlustramus. SARCOE, Medicus Neapolitanus, (*del contagio del vajuolo e della necessità di tentarne l'estirpazione*, Nap. 1773. Germ. Götting 1782. et SCHERF, *Archiv* I. 13. p. 283.) FRANCO GIL, (*un metodo sicuro di preservare i popoli dal Vajuolo, e di ottenerne la di lui totale estirpazione*, Bass 1789. germ. L. 1795.) SCYDERI (*Vorschläge zur Ausrottung der Kinderblattern, a. d. Lat.* 1794.) PUFENDORF (*ausführbare Vorschläge zur gänzlichen Vertilgung der Blattern*, Br. 1792.) FAVST (*Gesundheitskatechismus*, Sect. 24. et *Versuch über die Ausrottung der Blatterpest*, Büchb. 1794.) SALZMANN in praefatione ad editionem germanicam SCYDERI, aliique plura nobis hac de re proposuerunt consilia. Omnia vero eo redeunt, vt adminicula, quibus pesti aliisque morbis contagiosis, hucusque coercendis, pares fuimus, contra variolas quoque adhibeamus, imprimis domicilia propria, omnibus,




bus, qui in eadem vrbe, eiusque vicinia, variolis corripentur, excipiendis, et vsque ad finem morbi, donec nullus amplius de malo propagando timor subesset, ibidem custodiendis, destinata exstruamus. Argumenta vero quibus haec consilia fulcire studeant, tum satis copiose, ad minutissimas res attendentes, tum magna dicendi facundia, exposuerunt. Redeunt vero ad sequentia. Morbus variolosus nouus est, veteribus plane incognitus, adeoque a natura humana remotus; sola communicatione ab aegrotis ad sanum propagatur, vt homines venenum sibi inuicem communicent, quod plane deleri poterit, si eiusdem communionem, nouamque genesin impedimus. Porro contagium hoc non per aërem, sed per solum immediatum contactum propagatur; ipsae epidemiae lente modo oriuntur, ab initio vnus afficitur, qui deinde contagium ad alios transfert. Pestis quoque et lepra morbi variolis haud dissimiles, separatione aegrotorum a sanis, nostro tempore inter nos sublatis sunt, quae variolarum quoque in insulis quibusdam paruis, vt Rhodeisland, Neoanglia, St. Helena, fors fuit. — Praecipuum ergo subsidium, a quo extinctio contagii variolosi speranda est, in separatione eorum, qui primi variolis afficiuntur a sanorum consortio cernitur. Variolas contagio propagari omnes statuunt, adeoque simulac omnis infectio impediri possit, ipsas extingui necesse est. Maximis vero difficultatibus hac in re pugandum est. Epidemiae enim saepe in regionibus, in quarum vicinia nullum variolarum antea fuerit vestigium, subito oriuntur. Priusquam enim vnum aegrotum variolosum ibidem occurrere audieris, lues iam latius serpit, omnesque qui ad illam suscipiendam apti sunt corripit; tunc initium infectionis dubium admodum est, nec primus infectus facile detegitur. Alio tempore variolae sporadice incedunt, mox in hac, mox in illa vrbis parte, vnus alterue ab iisdem corripitur, nemo de vitanda infectione cogitat, morbusque mox euanescit. In aliis porro regionibus variolae semper rariores sunt, in aliis quasi endemicae, vt in vrribus celebrioribus, in aliis periodicae, certis annis, septimo, decimo recurrentes. Cum ergo variolae sporadice aequae ac periodice, non semper epidemice obueniant, ad alias adhuc causas praeter miasma contagiosum, atque solam infectionem, respicien-



ciendum est. Id ipsum quoque experientia confirmat, cum infantes consulto contagio variolarum expositi, interdum non afficiantur, contra alio tempore praeter opinionem morbo succumbant. Indoles ergo variolarum, pro diuerso caractere reliquorum morborum, admodum differre, indeque eiusdem propagatio variare videtur.

Nec firmiori fundamento nituntur conclusiones, a morbis contagiosis pristinorum temporum, qui recentiori memoria disparuerunt, repetitae, quo pestis, lepra Arabum, elephantiasis, sudor Anglicus, referendi sunt. Quod enim *Pestim* attinet, haec contagiosa quidem, subito magna vi multos inuadit, neque exiguos prostrernit, plerumque vero per definitum quasi tempus grassatur, neque eiusdem vis per longius tempus protrahi solet. Cuius quidem minoris durationis causa, licet ex parte hominum solertiae, atque impedimentis, quae vltiori huius mali progressui opponere solent, tribuenda sit, minime tamen ex hoc solo fonte deducenda est. Videtur enim ipsum miasma certum aliquod tum periculi, tum propagationis, attingere fastigium, quod si fuerit consecutum, imminuitur potius, quam vt augeatur, latiusque serpat. Hinc historias epidemiarum pestilentialium, in actis medicorum, atque in falsis historicis conscriptas, legimus, quae per tempus finitum durarunt, earumque per longius intervallum saepe per dimidia, quin per integra secula, nulla amplius reperimus vestigia. Idem fere in illis regionibus euenit, vbi pestis frequentius occurrit, et quodammodo endemica esse solet. Successiue enim atque per temporis intervalla, nouellae publicae de nouae pestis in hac vel illa Orientalis regione, eruptione narrant, quae mox cessat per annos, denuoque recurrit. Proximam ergo miasmatis originem, non in solo contagio, sed aliarum causarum, forte minus hominum arbitrio, quam aliis rebus accidentibus subiectarum, concursu, quaerendam censemus, atque hac quidem restrictione STOLLII (Rat. med. P. II. pag. 15), pestim sine praegressa infectione externa, a causis vniuersalibus, v. e. a putridis aquarum stagnantium exhalationibus, a caritate annonae, et qui sequitur putridorum et corruptorum ciborum vsu, aliisque, ortum capere posse, asserentis, sententiae subscribimus. Quodsi ergo partim imperfecta ad auertendam pestim instituta, negligentiamque hic simul occu-



occurrentem, partim vias et remedia, quibus optimae et feuerissimae leges plerumque eliduntur, consideramus, fatendum omnino erit, pestem his solis adminiculis minime fuisse suppressam, quin caularum, quae in Oriente illam adhuc fouent absentiam, id inprimis effecisse, vt morbus hic funestissimus rarior mitiorque euaserit. Romae aliquando tandem grassabatur epidemia, continua fere, donec ex LANCISII consilio, sylua, qua liberior aëris accessus illuc impediabatur, excisa fuit. Multo minus *lepra* cum variolis comparari potest, quippe quae immediato contactu propagatur, minus coelo nostro accommodata, et, vt malum chronicum, epidemiarum legibus minus subiecta est, cuius exsirtipatio longe facilior fuit. — Largiamur vero aduersariis, eam esse variolarum naturam, qua plane tolli atque radicitus euelli possint; *modi* ad hunc finem assequendum propositi, nostris temporibus haud accommodati sunt. Haud exigui sumtus ad exstruenda eiusmodi nosocomia variolosa, ad conducendos, alendos, sustentandosque aegrotos requiruntur, quae praesente rerumpublicarum conditione, minime colligi possunt. Neque commercium atque politica hominum inter se coniunctio, facile permittit, vt eiusmodi seiunctiones aegrotorum variolosorum commode institui queant. — Illustrant denique illi fautores exemplis insularum quarundam, e quibus variolae, per exactam omnium aegrotorum separationem, atque similes ac in peste cautelas, plane fuerunt proscriptae, vt in insula *Maïorka*, *Rhodeland*, aliisque teste HAYGARTH, (*Untersuchung, wie den Blattern zuvor zu kommen, Berl. 1785. S. 339.*) Quod quidem in locis remotis, minus hominum celebritate atque commercio cultis, neque cum terra firma connexis, in insulis denique mare vndique circumscriptis, fieri poterit, quomodo vero in terra firma, ampla admodum, vbi hominum concursus nullis limitibus circumscribi potest, haec vnquam perficiantur?


Ex iis, quae nunc disserimus, difficillimam, quin praesenti rerum, in primis politicarum, statu, impossibile esse variolarum exsirtipationem, patet. Iam nihil nobis ex Cl. HEBENSTREITII consilio (*Lehrsätze der medic. Policy, §. 315*) relictum est, quam vt periculum, cum hoc morbo coniunctum, studio indefesso tollamus, naturam morbi,

morbi, praecipue complicationes eiusdem maxime perniciosas, vitaeque infidiosas cognoscamus, omninoque, quantum possumus, ulterio-
 rem eiusdem propagationem impediamus. Qua de caussa studia Cl. **IVNKERI**, quae in ephemeridibus politicis atque litterariis, et singula-
 ribus libris (*Vorschläge über das Verhalten der Menschen in der Pocken-
 krankheit*, H. 1792. et *Gemeinnützige Vorschläge und Nachrichten über
 die Pockenkrankheit*, H. 1795. Cap. 4.) proposuit, non laudanda so-
 lum, sed imitanda sunt, et quivis probus pro sua parte, ad inimi-
 nuendum hoc malum strenue laborabit.

*Sed sufficiant haec. Transeo nunc ad id, cuius causa haec
 proposita sunt. A societate enim, cui semper maximo duce-
 tur honori, TE, VIR CLARISSIME, AMICE AESTVMATIS-
 SIME, sadalem habuisse, officium iucundissimum suavissimumque
 mihi impositum est, TIBI summos, quos ambis honores, publi-
 ce gratulandi. Gaudium voluptatemque omnino percipimus
 summam, cum primus sis, qui ex nostrum numero, a tribus
 inde et quod excurrit annis, ex quo tempore exercitationes
 disputatorias coniunctim habuimus, Doctoris gradum dignita-
 tesque ex merito capis. Nos omnes egregias ingenii dotes,
 diligentiae assiduitatem, morum suavitatem, animique integri-
 ratem probitatemque, quibus domestica, eaque plura, exempla,
BERGERI, KLÜGELIORVM, PATRIS *Experientissimi*, tanquam
 in illustri loco posita, imitatus es, maximi semper habuimus.
 Quarum virtutum praemia, cum iam in Academia patria colli-
 gas, ex animo optamus, vt Deus O. M. conaminibus TUIS
 semper propitius adsit, omnibusque laboribus TUIS in arte
 etiam*

**





etiam inter exteros, atque in sebola clinica Cel. FRANKII, quae
 Viennae nunc floret, vlrerius excolenda, prosperrimos largiatur
 successus, tandem maiores vberioresque fructus collecturus. I pede
 fausto atque secundo, quo fata TE vocant, fruere vberrimis
 studiorum praemiis, prosperrimaeque valetudine. Memoriam
 vero Praesidis nobis Carissimi, pariter, ac omnium commilito-
 num, quorum nomina subscripta cernis, TE vebementer ama-
 rium, et in remotissimis regionibus conserues; meque amore
 Tvo amicitiaque mutua amplecti pergas, etiam atque etiam
 rogo. Sic vale iterumque vale.

NOMINA AMICORVM.

- TRAVGOTT CAROLVS AVGVSTVS VOGT, Gorsleba-Thuringus,
 Cand. Medic. et Theatri Anat. Professor.
 GOTTLIEB AVTENRIED, Wittebergenfis, Medic. Cand.
 CAROLVS GOTTFRIDVS ERDMANN, Wittebergenfis, Med. Cand.
 CAROLVS IMMANVEL LICHTENBERG, Beltitio-Saxo, Med. Cand.
 IOANNES ALBERTVS GENSER, Dresdenfis, Medic. Cand.
 IOANNES GEORGIVS DVENICHEN, Iütreboco-Saxo, Med. Cand.
 IOANNES GEORGIVS PFENNIG, Halbauia-Lufatus.
 FRIDERICVS AVGVSTVS POENITZ, Dresdenfis.
 CAROLVS AVGVSTVS OBERREICH, Kindelbrucca-Thuringus.
 IOANNES GOTTFRIDVS AVGVSTVS ZIEGERT, Laufigio-Misnicus.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96
vd 18

ULB Halle

004 335 651

3



f

sb.





1928 K 944

474

7/28

29

V I R O
CLARISSIMO, DOCTISSIMO
ERNESTO CHRIST. LVDOVICO
CHARITIO,

WITTEBERGENSI,
MEDICINAE CANDIDATO,
SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES,
NOMINE COMMILITONVM,
QVI SVB AVSPICIIIS
D. SALOMONIS CONSTANTINI TITHI,

BOTAN. ET ANAT. PROF. PVBL. ORD.
DISSERENDI EXERCITATIONE VT VNTVR,
GRATVLATVR

GOTTLIEB AVTENRIED,
WITTEBERGENSIS,
MEDIC. CANDID.

QVAEDAM
de dubia variolarum exstirpatione,
PRAEFATVS.

D. 23. Septembris 1796.

WITTEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

